

et Anni 1630. Art. 23. Conditionemque 11. conserventur; Et, si quid in contrarium fuisset, mediante Commissione superinde instituenda, ut complanetur; clementer curatura est sua Majestas.

§. 1. Ubi etiam de Tricesima Civitatis Segniensis: De praetensione familiae Comitum de Frangepanibus de Terzath: Ratione item Arcium Starigrad et Jablanacz, aliisque quibusvis ea in parte ortis difficultatibus, tractari terminaque debebit.

§. 2. Ad quam Commissionem peragendam, ex parte Statuum et Ordinum Regni nominantur Commissarii; Magnifici Domini Casparus Konski: Et Petrus Keglevich: Reverendus Dominus Joannes Somogyi, Abbas de Szekszárd: Egregii Georgius Petrichevich, aut Sigismundus Domianich.

§. 3. Civitas Porro Segniensis Regalibus literis ad Diaetam invitabitur.\*)

*Ecclesiastici et Nobiles in Confiniis domos habentes non aggravandi. Capitanei pensiones non exigant: Neque praesidarios ad privata servitia adigant.*

#### A r t i c u l u s 44.

Quo in loco, ne Personae Ecclesiasticae et Nobiles, in confiniis domos habentes, condescensionibus militum aggraventur; ad Art. 46. et de executionibus judiciariis in Confiniis non impediendis; ad Art. 48. Ac ne Capitanei insolitas pensiones exigant; ad Art. 62. Anni ejusdem 1635. referunt sese Status et Ordines:

§. 1. Contravenientes, eo, quo supra, processu, conveniri posse; ac ne Capitanei locorum subjectos sibi milites propriis servitiis quovis sub praetextu (cum exinde manifestum Excubiarum advertatur detrimentum) accommodare praesumant; decernentes.

*Ne discordiae et contentiones inter Confiniorum praesidarios interveniant; jurisdictioni locorum Capitanei subsint et ab eo dependentiam habeant.*

#### A r t i c u l u s 45.

Ad tollenda incommoda, quae ex periculosis contentionibus et injuriis, inter milites Germanos, in Confiniis existentes et alios similiter nativos Confinarios intervenire nonnunquam consueverunt: Status et Ordines decernunt; ut Praesidarii Germani, in Confiniis, juxta benignam etiam suae Majestatis resolutionem, nec non Art. 24. Anni 1625. circa finem, Capitaneis Ungaris subsint:

§. 1. Juramentum pro defensione Arcis et fidelitatis suae Majestatis, instar aliorum deponant:

§. 2. Ac pro eorundem demeritis etiam judicentur ac puniantur:

§. 3. In accipiendisque ordinantiis a Capiteo loci dependentiam habeant.

\*) Urgetur et renovatur; An. 1647. art. 50. An. 1649. art. 32. Libertates autem Segniensium confirmantur; An. 1715. art. 128. Et novissime; A . 1741. a. 56.